



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Henricus Imp. 14. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

440 VITÆ SANCTORUM. 14. Iulii.
præ se ferebat, ut inter paradisi amœni-
tates, quas unas tunc loquebatur, obam-
bulare sit visa. Et oportebat alteri Do-
rotheæ alterum etiam Theophilum esse.
Zeno hic fuit è iudicii subselliis primus.
Is, cùm virgo ad supplicii locum ridens
contenderet, rogavit fructus peregrinos
sibi è sponsi hortis transmitteret. An-
nuit capite truncanda **J U S T I N A**. Mox
latus Zenonis pugio molliter pulsât, &
donum à mortuâ virgine strophium mis-
sum exhibet. Tunc quoque risit, cùm
strophium acciperet, qui horti mune-
ra sperabat. Sed nesciebat ille sub stro-
phio fructus latere. Hoc enim dum fron-
tem ridens tergit, ecce omnem animo
superstitionem abstergit, Christum &
se Christianum tam diu clamat, dum
lingua è faucibus exsecaretur. Caput de-
mum pro Christo ponit, &, quod alii
tam grave putant, cælum ridendo mere-
tur. *Ex Ferrar.*

*Quosque hinc erimus affixi? adhaesimus
terræ tanquam vermes; in cæno volutamus:
corpus de terrâ nobis Deus contulit, ut ip-
sum in cælum retrahamus; non ut animam
per ipsum ad terram detrahamus. S. Chryl.
hom. 55. ad pop. Ant.*

S. HENRICUS IMP. 14. Iulii.

G Emmam Romanæ Coronæ unicam
hic exhibeo **HENRICUM**, genuère
Bo-

Bojorum Duces, D. Wolfgangus educavit. Quidni ab his bonum Imperatorem speres? Certè Imperium à se ipso auspiciatus Virgo idemque conjux in triumphum Cupidinem duxit. Hoc subacto, facile alios Imperii hostes omnes fudit, tum præsertim, cum Æther illi militavit, & aciem, cui votum ante pugnam fecerat, D. Laurentius, & cujus gladio accinctus erat, Adrianus, tum Georgius Angelusque præiverunt. Sed ô lepidam fortunæ faciem! Tantis belli Imperator ecce à pueris vincitur. Obsidebat Trojam Apuliæ urbem, juratus nec imbelli ætati parcere. Cives sive armati, sive supplices in urbem repulsi. Ad triarios nempe res rediit. Erumpit ergo apertâ portâ puerile totius urbis agmen: signum Crux præit; barritus unus omnium, idem Kyrie eleison auditur, quid multis? primâ pugna HENRICUS capitur, & urbs libertate potitur. Adhuc gravior ille conflictus fuit, quem mortuus cum acie infernâ habuisse, dæmonis, qui rem in suis oculis gestam narravit, fide creditur. Is enim viro Religioso exposuit, nutasse illic cum lance HENRICI causam, donec iterum suppetias ferens Laurentius, calicem sibi donatum pro clypeo objiciens, rem restituit. Id nisi more suo dæmon confinxit, præidentem esse oportet, cui cor non palpitat. *Ex DD. Bamberg. Jac. Gretseri.*

Convertatur amotus, ut nihil diligas, nisi Deum ipsum, aut certè propter ipsum: convertatur etiam ad ipsum timotus: quia peruersus est timor omnis quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum: sic & gaudium & tristitia convertantur ad ipsum: hoc fiet, si non nisi secundùm eum doleas, aut leteris. S. Bern. de Jejun.

S. BONAVENTURA EP. 14. Iulii.

Contrà quàm hodie fieri amat, BONAVENTURAM mater ultrò Deo & D. Francisco devovit. Apud hunc pietatem doctrinæ ita junxit, ut dubiam altera alteri palmam faceret. Magnum testimonium Alexander de Ales est, non peccasse Adamum in BONAVENTURA. Ipse D. Thomas miratus raram in viro doctrinam, bibliothecam suam ut monstraret, rogavit: ille digitum in Crucifixum intendit. Tantus ad purpuram tamen plus ipsâ purpurâ erubuit. quin quod aliquoties indignum se putavit, qui sacro Epulo accumberet? Sed dignum esse Angeli monstrarunt, cum felicem sportulam ad os BONAVENTURÆ ultrò portarunt. Moriturus cum vomitu laboraret, lateri cibum Divinum iussit admoveri, & ecce inde ad ipsum Cor se Eucharistia penetravit. Quid jam miramur hoc (uti & caput) multis annis à morte integrum ab omni tabe